

se, cum nobis insciis movere quippiam alios poterit, ut ad Fortunam nostram concurrerent. Quod verò illos attinet, qui licet in Fortuna fabricanda nihil omiserint, successum tamen minus felicem sentiant; ad hoc negando respondemus, omnia ad fortunam pertinentia fuisse observata, quippe vel unica neglecta circumstantia omnes conatus evertere potuit.

6.

Ast prodeunt novi Adversarii, Stoicis non adeò dissimiles, qui homini *Nativitatis Horam*, quatenus sub hoc vel illo Siderum Regimine contigit, fatalem faciunt, & quicquid in universâ Vitâ futurum sit, hinc præfagire non erubescunt. Facile autem & hos vincemus, contra quos ipsa Ratio non minus, quam Experientia pugnat. *Ratio refragatur*, cum nullo modo appareat, quid Astra in Fortunam Juris habeant. Dicunt: instillare ea Homini Mores, pro Morum autem conditione judicari Hominis Fortunam posse. Quasi vero omnibus, qui iisdem moribus gaudent, eadem quoque tribuenda esset Felicitas. Imo positò, non parum Mores ad Fortunam contribuere, submittantur Rationis imperio, & nihil quicquam nocebunt. Deinde & *Experientia repugnat*. Multi enim, qui sub eodem Astrorum positu mundum ingressi sunt, diversam postmodum Fortunam subeunt; unde ipsos etiam Gemellos, licet una eademque hora, ex uno eodemque utero materno prodierint, moribus & Fortuna maximè distinctos haud

A 3

rarò